



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Prophetia Apocalyptica S. Joannis Apostoli

Kircher, Heinrich

Coloniæ Agrippinæ, 1676

§. I. Ex qua terra ascendat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39100

XIX 2 U J. A. T. A. R. T.

Ex qua terra ascendat.

Cum simus dicturi Antichristum exoriturum in terra Babylo-
niæ inter Judæos: supponamus illam præcipuè regionem &
circumvicinas à Judæis inhabitari.

Judæi
disperfi.

I. **C**onstat eos, ex prophetia psal-
mi 58. esse *disperfos* per univer-
sum mundum: quod eo consilio fa-
ctum est, ut Christianæ veritatis sint
testes vel invitj; dum Codices prophe-
ticos; ex quibus probamus Christum,
evidenter nobis præferunt. Unde il-
los sæpè nominat S. Augustinus Chri-
stianorum librarios, caplarios, latura-
rios: *quomodo solent, inquit, servi post
Dominos, Codices ferre (adeò) ut illi
portando deficiant, illi legendo proficiant.*
in psalmum 56. Vide eundem in psal.
40. 58. & alibi.

Cum quo etiam S. Doctore illud
rectè perpendimus, fuisse divinæ pro-
videntiæ, non solum non occidi eos; hoc
enim habet psalmus: sed neque ita di-
spergi in alias nationes, ut desinant suis
legibus vivere. *Judæi sunt, ait, (in psal.
85. v. 12.) nec destiterunt esse quod erant;
id est, gens ista non ita cessit in iura Roma-
norum (aliorumve à quibus sunt ab-
ducti) ut omiserint formam Judæorum.*
Dispersio hæc tam fuit procul Hiero-
solyinis, ut, teste Eusebio lib. 4. histor.
Eccl. cap. 6. sub Hadriano Imperatore
prohibiti sint non modò pedem eò re-
ferre, sed ne vel ex edito loco paternum
solum oculis aliquando aspicerent. De

his Christus Luc. 21. v. 24. *Captivi du-
centur in omnes gentes, & Jerusalem cal-
cabitur à Gentibus, donec impleantur
tempora nationum.*

De eadem dispersione Josephus
scriptor rerum Judaicarum sub Vespasi-
ano, lib. 7. de bello Judaico cap. 21. sic
scribit: *Judæorum namque gens multum
quidem totius orbis indigenis asserminata
est. & lib. undecimo antiquit. Judai-
carum cap. quinto, originem dispersio-
nis repetit à captivitate Babylonica: de
qua finientè cum memorasset Esdras
adeptis ab Rege literis libertatis (quas
etiam recitat Esdras lib. 1. cap. 17.)
convocasse filios Israël qui apud Baby-
lonem degebant, atque insuper exem-
plar epistolæ Regiæ misisse in Mediam,
ad omnes suæ gentis homines, unde exciti
multi cum ipso reverterint Jerosoly-
mam: adjungit: reliqua Israëlitarum
multitudo assuetum jam domicilium no-
luit relinquere. narrat inhabitasse illæ*

Judæo-
rū præci-
pua ha-
bitatio:

cincta

uncta fluentis Euphratis & firmissimis mœnibus: eidem flumini est & Nisibis apposta. Hæc Josephus. & S. Hieronymus meminit disperforum ex Judæis incolarum *in montibus passim & urbibus Medorum.* in Ezech. cap. 23. id quod sæpè alibi repetit (in Ezechielis caput 16. & 37. & in Joëlis caput tertium.

Academiarum:

Est illius Næardæ multa mentio in Thalmud Babylonico, quod illâ in urbe conflatum est annis circiter quingentis post Christum: & cognominatur urbs, à Rabbinis, fluvius scientiæ ob Academias scientiarum Judaicarum: quarum, non quidem ille flos Academiæ, sed tamen doctrina conservatur etiamnum in Babylonia & vicinis latè regionibus, in quibus se propagant bonâ Regum Babylonicorum veniâ, quam magno pretio emunt: & de quorum indulgentiâ retinent illîc speciem Reip. & successiõnem ejus quem vocant suum Principem aut Caput, ex familia, quod putant, Davidis, de quo Origines lib. 4. Periarehon cap. 1. *Dicunt, inquit, permanere adhuc Principem ex genere Judæ, istum videlicet qui est gentis eorum Princeps, quem nominant Patriarcham: nec deficere posse de semine ejus qui permaneat usque ad adventum Christi quem sibi ipsi describunt:* quos refutat ibidem Origines ex illo Oseæ 3. v. 4. *dies multos sedebunt filii Israel sine Rege, sine Principe.* Extant in Jure Civili rescripta Imperatorum Constantini, Theodosii & Valentiniiani, quæ meminerant istius Patriarchæ seu Principis. Codice: de Judæis (is est Titulus no-

Et successio, scilicet, Principum.

nus) l. tertiâ & decimâ septimâ.

Cæterum Josephus lib. 11. cap. 5. eos qui per Romanas ditiones sunt dispersi, ut qui ex duabus tantum tribubus fuerunt abducti Hierosolymâ, paucos ait esse comparatè ad eos qui habitant apud Babylonè. *Dua, inquit, tantum Tribus per Asiam & Europam sub Romano degunt Imperio: decem autem Tribus nunc quoque ultra Euphratem sunt, insinua hominum millia quæ vix est numero comprehendere.*

Ad Euphratè, infinita millia.

2. Atque hæc ideò sint commemorata, ut superstrui possit istâ in regione Babyloniæ nativitas aut educatio Antichristi. Ita habet communis sententia, nasciturum in Babylonia: de qua S. Hieronymus in Danielis caput undecimum: *Nostri autem, ait, hæc omnia (à versu Danielis 21.) de Antichristo prophetari arbitrantur &c. qui nasciturus est de populo Judæorum & de Babylone venturus.* Et convenit admirabiliter cum illa Visione Zachariæ cap. 5. v. 7. & seqq. *Ecce talentum plumbi portabatur; & ecce Mulier una sedens in medio amphoræ; & dixit, Hæc est impietas. & ecce duæ mulieres egredientes, & spiritus in alis earum, & habebant alas quasi alas milvi, & levaverunt amphoram inter terram & Cælum. Et dixi ad Angelum qui loquebatur in me: quò ista deferunt amphoram. Et dixit ad me: ut edificetur ei domus in terra Sennaar & stabiliatur & ponatur ibi super basem suam.* Sensus historicus & prophetia est, Judam & Israëlẽm duas mulieres deferre Impietatem in terram Sennaar (ibi est urbs Babylon, Gen. 11. v. 2.) & ædificare domum

Ibi patria Antichristi.

suam in confusione, atque habere illic basem habitationis suæ usque ad con summationem mundi. Audi S. Hieronymum in hunc locum Zachariæ: *Dua enim Mulieres, quæ egrediuntur, haud dubium quin de terra Judæa, accipiendæ sunt decem & duatribus.* Ac postquam dixisset in alis earum fuisse spiritum, id est potestatem Diaboli, adjungit reliqua hujus prophetiæ: *Convenit, inquit, istis mulieribus Judæa & Israël, quæ propter peccata potentia traditæ sunt demonum potestati & ab eis ductæ sunt in captivitatem. Tuleruntque amphoram sive mensuram in qua clausa tenebatur Impietas, massâ plumbi desuper positâ ne possit exire; & pondus gravissimum omnium peccatorum, per aërem inter terram & Cælum elevantes.* Observat interrogationem Prophetæ: *non interrogat quæ sint istæ Mulieres; patebat enim spiritui propheta: nec quid portent; de quo supra fuerat eruditus: sed quò portent.* *Qui respondit: ut adificetur ei domus in terra Sennaar: pro quo LXX. transtulerunt, in terra Babylonis. Sennaar enim campus est Chaldaeorum: in quo hi qui moverant ab Oriente pedes suos, & in DEI servitute stare non poterant, adificaverunt turrim superbie: unde & civitas ipsa appellata est Babylon, id est Confusio. Impietas ergo defertur ab istis Mulieribus in Babylonem: ut ibi adificetur domus eius, & stabiliatur, & ponatur super basem suam, & aternâ statione requiescat. Verè enim in Babylone SEDES EST IMPIETATIS, & juxta historiam, & juxta mysticos intellectus.*

3. Summa: S. Joannes vidit ascendentem Bestiam de terra inter Judæos

qui frequentissimi in regione atque in conterminis Babyloniæ: immò, præter suos ritus ac formam vivendi, retinent illic Magistratus emptitios & distinctionem Tribuum.

Nascitur autem, verisimiliter, ex Ex qua matre quæ de tribuerit Judæ; ut inde Tribu. sibi arroget sceptrum: & ex occulto patre Danita (fornicatio, ut expressè inter alios sentit & bis eodem loco asserit S. Damascenus; lib. 4. de orth. fide cap. 27.) Quo pacto conciliari arbitramur utramque sententiam: & eam quæ oriturum docet Babylone; & eam quæ nasciturum de Tribu Dan, de qua pluribus diximus in Caput Apocalypsis septimum: nec non famam ortus ejus de Tribu Judæ, quânam veritate illi tribuetur.

Jam & illud amplius innotescit tam commune SS. Patribus, haustum ex Sacra Scriptura: Babyloniæ esse Civitatem Diaboli, & opponi sanctæ Jerusalem DEI, metropolim omnis confusione, & habitaculum convenientissimū dæmonum: à qua civitate sicut inde à Nemrod seu Belo cœpta est & propagata defectio mundi à veri DEI cultu: ita ab eadem incipiat ortus Antichristi, & Regnum ac fama invalescat prodigiorum ejus & potentia Messiæ. Quæ nimirum conveniunt ad amissim Babyloniæ Chaldaicæ, illi quam perluit Euphrates, is cujus sapientissimè fit mentio in Apocalypsi super hac materia Cap. 9. v. 14. & cap. 16. v. 12. potius quam urbis. nam de subversione antiquæ Babylonis, perinde factâ ut Sodomæ, præcesserunt & impleta sunt oracula Prophetarum Isai. 13.

Babylonia in Prophetis & PP. famosa.

Cur mētio Euphratis in Apoc. Ratio 1. potius quàm urbem. v. 19.

v.19. & seqq. ac Jer. 50. v.39. qui ait, *non inhabitabitur ultra in sempiternum nec extruetur*: & illud ipsum narrat S. Hieronymus. At contiguo in loco aliam constat ædificatam esse Babylonem prope veteris urbis ruinas, quarum & murorum Semiramidis & hortorum pensilium videre est monumenta. pro ut legere est apud Ortelium & alios Geographos, qui eam, quæ nunc Babylon aut Bagadat dicitur, prope ruinas antiquæ Babylonis exhibent. Ferè sicut ævo Christiano diruta illi Hierosolymæ, ut non relictus sit lapis super lapidem Luc.19. v.44. successit alia Hierosolyma hodierna, non eo nunc prorsus in loco ut observat S. Greg. hom. 39. in Evang. Illa autem ho-

die Babylon habetur; testimonio eorum qui sunt illuc peregrinati, esse amplissima earum, quæ in tota sunt Assyria, & subdita Mahometanis. Quam adhuc urbem, id quod ad Apocalypsin attinet, perfluit Euphrates, & jungit pons lapideus super eum impositus: qui fluvius à Tigri confluentem sic augetur, ut navigia majora perferat ad Oceanum Persicum.

Estque præterea fluminis Euphratis illa expressa mentio in Apocalypsi idcirco, ut admoneamur agi de Babylone Chaldaicâ: non item de alia Ægyptia urbe, etiam amplâ, sitâ ad Nilum flumen, quam Arabes Babylonem nuncuparunt, vulgo Cairum quæ huc non pertinet.

Ratio. ad distinctionem alius urbis cognominis.

§. II.

De relatione ejus ad Draconem: quia loquetur sicut Draco.

1. **P**ræterquam quod Antichristus ex semine gignatur hominis, utpote verus homo, ut dicitur 2. Thess. 2. v.3. *homo peccati*: Draco tamen qui est Princeps omnium Diabolorum huic scæti prognerando formandoque suam omnem impendet artem. Existimamus cum magnis Doctoribus fore præter patrem hominem spurcissimum, aut simul & cum illo, incubum matri Archidæmonem (neque enim de incubis negari posse sentit Augustinus lib.15. de civ. cap. 13.) Is ut simius sit generationis Christi, superadveniet

illi scorto: & quia homo genitor erit occultus, sparget, id quod prædixisse de illo refertur Sancta Hildegardis Prophetissa, natum matre virgine. Certè Rabanus Episcopus pietate doctrinâque celebrer in opusculo de Antichristo: *Diabolus, inquit, in matrem Antichristi descendet, & totam eam replebit, ut quod natum fuerit, totum sit iniquum & perditum; unde dicitur homo peccati & filius perditionis.*

2. Et verò ille quodammodo plastes, Draco, efformabit hunc partum ab utero, tantâ ei proclivitate insitâ

Indoles; corpo-